

*regis in vivos perfectos, in mensuram etatis plene adulta
Jesu Christi haud perveniant. Prout vultu secernuntur
homines a bestiis: ita Christiani ab Atheis, Scepticis, Epi-
cureis, haeticis per formam Christi, quæ in ipsis est, di-
stinguuntur.*

§. XVI. Quomodo autem ea in hominem Chri-
stianum introducatur, nobis porro dispiciendum est.
Scilicet (I.) gratia DEI *præveniens* cor hominis peccato-
ris concutit quasi, primamque sanctam cogitationem
& primum sanctum desiderium in ipso operatur. Id
quod modo non uno contingit: partim si attendamus
ad differentiam regenerationis infidelium, quam pri-
mam; & regenerationis lapsorum aut relapsorum, quam
secundam appellant: partim si peculiare modo pro-
cessus divini observemus, quorum in regeneratione
hominum exempla occurrunt. Illis quidem, qui lu-
minis naturæ usu ad vitam honestiorem erecti, a pecca-
tis autem contra conscientiam alieniores facti, attamen
fide in Christum destituti, proinde extra statum gratiæ
relicti sunt; gratia prima, & motum spirituales prop-
rium omnem præveniens, contingere potest & solet, per
ipsam spiritualium bonorum revelationem in verbo
DEI, unde sancta cogitatio de talibus & pium desideri-
um eorum oritur. Quando autem homines, sive igna-
ri doctrinæ salutaris & nunquam hætenus regeniti, sive
in mortem e vita spirituali relapsi, & peccatis enormi-
bus indulgentes, regenerandi sunt; quanquam etiam in-
terdum, cum infideles melius morati, peccato tamen op-
pressi, ad fidem sunt perducendi, plures occurrunt gra-
tiæ prævenientis modi. Interdum enim DEVS per gran-
de beneficium mentes peccati somno sopitas experge-
facit. Exemplo est Saul Rex iniquissimus. Quando
enim